Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Jacob Lembke   Immanuel Mevius

Connexionis Institutionum Iuris Exercitatio ...

I : Continens Libr. I.

[Rostock]: Keilenberg, 1681

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746220049

Band (Druck)   Freier Zugang

PUBLIC DOMAIN

Zusammenhang der

Grundlagen des Rechts

RU jur 1681

Jacob Lemke

Emanuel Moeser

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn746220049/phys_0001
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn746220049/phys_0002
DFG

I - IV 10 31.

Connexionis Institutionum Juris
EXERCITATIO I.
CONTINENS
LIBR. I.

Quam,
DEO JUVANTE.
PRÆSIDE
Dn. JACOBO Lembken/ J.U.D.
ET P. P.

DEFENDENDAM PROPONIT
In Auditorio Majori,
Horis Consvetis,
EMANUEL MEVIUS,
NOB. MECKL. in prœlio inter Gallos et Batavos prope Fleurj. vitam amisit et occubuit a parte Batavorum militans. Ao 1690 m. May.

Ad Diem. XX April. Rostochii *Anno* M.D.C.LXXXI.

Prelo B. Keilenbergii, Acad. Typ.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

J. N. D. N. J. C.

CONNEXIO INSTITUTIONUM.

LIB. I.

INSTITUTA, ſive INSTITUTIONES JURIS, ab inſtituendo ſic dictæ, qvæ ſunt *totius Legitimæ ſcientiæ, ſive Jurisprudentiæ prima elementa §. 4. Proœm.* diſpeſci poſſunt: in PROOEMIUM & ipſum TRACTATUM. PROOEMIUM continet & *inſcriptionem*, & ipſum *textum*, & *ſubſcriptionem*. *Inſcriptio* iterum continet 1. argumentum proœmii 2. invocationem Nominis Divini 3. Nomen & Titulos Auctoris, vel ab Anteceſſoribus, vel à devictis gentibus, vel à votiva acclamatione populi aſſumptos 4. Dedicationem cupidæ Legum juventuti factam. Ipſe *Textus* proœmii tradit 1. officium boni Imperatoris in genere. pr. 2. applicationem illius ad Imperatorem Juſtinianum. §. 1. *usqve* 5. 3. confirmationem Inſtitutionum §. 6. & 4. adhortationem. §. *ult.*

Ipſe TRACTATUS Inſtitutionum dividitur, vel in PARTEM COMMUNEM, ſive generalem, vel in PROPRIAM, ſive ſpecialem. PARS COMMUNIS agit 1. De FINE JURISPRUDENTIÆ, qvi eſt JUSTITIA (TIT. 1. *de Juſt & Jur.*) 2. de variis DIVISIONIBUS & SPECIEBUS JURIS. (TIT. II. *de Jur. Nat. Gent. & Civ.*) Jurisprudentia eſt *divinarum atq; humanarum rerum notitia, juſti atqve injuſti ſcientia.* §. 1. *d. Juſt. & Jur.* ejusqve generalia *Præcepta* tria ſunt: honeſte vivere, alterum non lædere, ſuum cuiqve tribuere §. 3. Juſtitia eſt *conſtans ac perpetua voluntas, jus ſuum cuiqve tribuendi.* pr. JUS dividitur, qvod aliud ſit PUBLICUM, *qvod ad Statum Reipubl. Romanæ,* aliud PRIVATUM, *qvod ad ſingulorum utilitatem, primario ſcil. ſpectat.* Collectumqve eſt ex præceptis NATURALIBUS, GENTIUM, & CIVILIBUS. §. *Ult.* Jus Naturale, analogicè ſic dictum, eſt, *qvod natura omnia animalia docuit* pr. I. d. J. N. G. &c. propriè vero, & ſtrictè ſic dictum eſt, *qvod naturalis ratio inter omnes homines ſimpliciter conſtituit* §. 1. eſtq; immutabile §. 11. Jus Gentium eſt, *qvod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, uſu & humanis neceſſitatibus exigentibus* §. 2. Jus Civile, *qvod qvisqve populus ſibi proprium conſtituit* d. §. 3. Et hoc iterum eſt, vel SCRIPTUM, *qvod expreſſa Legislatoris voluntate conſtat,* cujus *ſpecies* ſunt: Lex, Plebiſcitum. §. 3. & 4. Senatus Conſultum §. 5. Principum placitum aut conſtitutio, qvæ vel generalis, vel ſpecialis §. 6. Magiſtratuum Edictum §. 7. & reſponſa Prudentum §. 8. vel NON SCRIPTUM, *qvod uſus approbavit,* diciturqve conſuetudo §. 9.

PARS PROPRIA ſive ſpecialis Inſtitutionum abſolvitur, ſecundum tria JURIS OBJECTA, qvæ ſunt

PERSONÆ, qvibus, RES, de qvibus, & ACTIONES, per qvas jus redditur §. *Ult.* De Perſonis agitur *Libr.* 1. *à Tit.* 3. *usqve ad fin.* de Rebus *libr.* 2. 3. & 4. *usqve ad tit.* 6. de Actionibus *à Tit.* 6. *libr.* 4. *usqve ad finem*.

Primum juris objectum PERSONÆ conſiderantur potiſſimum, vel JURE GENTIUM, vel CIVILI *infr. tit.* 8. JURE GENTIUM (TIT. III. *de Jure perſon.*) omnes homines ſunt vel LIBERI, *qvi naturalem habent facultatem, qvidvis faciendi, niſi ſi qvid vi aut jure prohibeantur pr.* & §. 1. vel SERVI, *qvi dominio alieno contra naturam ſubjiciuntur* §. 2. dicti à ſervando §. 3. Hi vel naſcuntur, ex ancillis noſtris, vel fiunt, idqve aut Jure Gentium captivitate, aut Jure Civili ſui ipſius venundatione §. 4. inter qvos tamen ratione ſtatus, nulla eſt differentia §. *ult.* LIBERI ſunt vel INGENUI (TIT. IV. *d. ingen.*) *qvi ſtatim, ut nati ſunt, liberi ſunt, pr.* vel LIBERTINI (TIT. V. *de Libertin.*) *qvi ex juſta ſervitute manumiſſi. pr.* CONSTITUUNTUR autem manumiſſione juſta, *qvæ eſt de manu datio. pr.* & §. 1. IMPEDIUNTUR verò, aut per LEGEM ÆLIAM SENTIAM (TIT. VI. *qvi & ex qvib. cauſ. manum.*) qvæ tam in fraudem creditorum *pr.* & §. §. *ſeqq.* qvàm minori 20. annis, aliter, qvam vindictâ apud conſilium, juſtâ cauſâ manumiſſionis approbatâ, manumittere prohibet, §. 4. & 5. (qvod tamen correctum §. *ult.*) aut per LEGEM FUSIAM CANINIAM (TIT. VII. *de Leg. Fuſ. Can.*) qvæ tanqvam libertatis invida itidem ſublata pr.

JURE CIVILI perſonæ dividuntur, qvod ſint vel SUI, vel ALIENI JURIS. (TIT. VIII. *de his qvi ſui vel al. jur.*) ALIENI ſunt, vel in POTESTATE DOMINORUM, ut Servi, qvæ poteſtas coarctata eſt. §. *ult.*

vel in POTESTATE PARENTUM, ut liberi (TIT. IX. *d. patr. poteſt.*) PATRIA POTESTAS hæc, qvæ eſt juris Civilis §. 2. conſideratur, qvat. vel CONSTITUITUR, vel DISSOLVITUR. CONSTITUITUR I. juſtis NUPTIIS (TIT. X. *d. nupt.*) ad qvas reqviritur I. ut contrahentes ſint *Cives Romani. 2. puberes. 3. conſentiant non tantum, ſed & parentes, in qvorum ſunt poteſtate. pr. 4 ut ſecundum præcepta legum coëant. d. pr.* qvæ jubent à qvibusdam nuptiis abſtinendum, vel ob nimiam conſanguinitatem §. 1. *usqve ad 5.* vel affinitatem. *§. 6. & 7.* vel honeſtatem §. 9. vel deniqve aliam civilem rationem. *§. 11.* additis in ſecus facientes pœnis. *§. 12.* II. LEGITIMATIONE. qvæ fit 1. per ſubſeqvens *matrimonium, 2. oblationem curiæ 3. Reſcriptum Principis*, idqve vel *immediate*, vel *mediate* per Comites Palatinos. *§. ult.* III. ADOPTIONE (TIT. *XI. de Adopt.*) qvæ eſt vel adoptio in ſpecie ſic dicta, nempe filiorum fam. imperio magiſtratus facta, vel adrogatio, nempe patrum fam. auctoritate Principis facta §. 1. DISSOLVITUR vero patria poteſtas (TIT. XII. *qvibusmod. jus patr. pot. diſſ.*) 1. morte naturali pr. 2. Morte Civili, nempe deportatione §. 1. & ſervitute pœnæ §. 3. non vero relegatione §. 2. 3. Dignitate §. 4. 4. Emancipatione, qvæ triplex, Legitima, Anaſtaſiana & Juſtinianæa §. 6. 5. Adoptione §. 8. Suſpenditur vero captivitate, propter jus poſtliminii §. 5.

SUI JURIS PERSONÆ ſunt, vel in TUTELA, (TIT. XIII., *de Tutel.*) vel CURA, vel NEUTRO JURE TENENTUR. pr. Tutelæ ut & Curæ traduntur vel PROPRIA, vel COMMUNIA. TUTELÆ PROPRIA reſpiciunt, vel CONSTITUTIONEM, vel EFFECTUM, vel DISSOLUTIONEM. Reſpectu CONSTI

STITUTIONIS tutela definitur; *vis ac poteſtas in capite libero, ad tuendum eum, qvi per ætatem ſe defendere neqvit, jure civili data ac permiſſa* §. 1. Eſtqve vel TESTAMENTARIA, circa qvam, & qvi dare §. 3. Et qvi dari tutores teſtamento poſſint conſideratur (TIT. XIV. *qvi teſt. tut. dar. poſſ.*) vel LEGITIMA, *à Lege certis perſonis immediate delata*, qvæ iterum qvadruplex. AGNATORUM (TIT. XV. *de legit. agnat. tut.*) qvorum tamen Jus plerumqve Status mutatione, ſive CAPITIS DIMINUTIONE qvæ maxima, media & minima, perimitur. (TIT. XVI. *de capit. dimin.*) PATRONORUM, *in libertos impuberes* (TIT. XVII. *de legit. patron. tut.*) PARENTUM, *in liberos impuberes emancipatos* (TIT. XVIII. *de legit. parent. tut.*) & FIDUCIARIA, *in fratres impuberes emancipatos, defuncto parente, competens* (TIT. XIX. *de Fiduc. tutel.*) vel DATIVA, *qvam defert magiſtratus*, cui hoc olim Lege Attilia, Julia & Titia ſpecialiter permiſſum. (TIT. XX. *de Attil. Tut. & eo qvi ex L. jul. & Tit. dab.*) EFFECTUS tutelæ potiſſimum conſiſtit: partim in actione, ſive judicio tutelæ, *qvo tutores poſt pubertatem, rationem ſuæ adminiſtrationis reddere tenentur* §. *ult.* partim in AUCTORITATE tutorum (TIT. XXI. *de auct. tutor.*) *qvæ eſt expreſſa approbatio ejus, qvod cum pupillo geritur, in ipſo negotio à præſente tutore confeſtim interpoſita* §. 2. & ſemper neceſſaria eſt, ubi pupillus veriſimiliter conditionem ſuam deteriorem facere poteſt. pr. DISSOLVITUR deniq; tutela (TIT. XXII. *qvibus mod. tut. fin.*) 1. pubertate. pr. 2. capitis diminutione §. 1. & 4. 3. conditionis vel diei exiſtentia §. 2. 4. morte §. 3. 5. remotione & 6. excuſatione tutorū §. *ult.* De CURA ſpeciatim agitur (TIT. XXIII. *de Curator.*) qvatenus

vel regulariter eſt *puberum & minorum 25. annis*, qvi ob ætatem negotia ſua tueri neqveunt pr. vel irregulariter, tam *majorum*, qvi ob furorem, prodigalitatem, perpetuum morbum, aliamq; ſimilem cauſam negotiis ſuis præeſſe non poſſunt §. 3. & 4. qvàm interdum *pupillorum* §. *ult.* COMMUNIA & tutelæ & Curæ ſunt I. SATISDATIO. (TIT. XXIV. *de ſatisdat tut. vel curat.*) *qva tutores & curatores, datis fidejusſoribus, de indemnitate pupilli vel adulti cavere tenentur. pr.* qvod niſi faciant, præcipue pignoribus captis coercentur. §. 3. II. EXCUSATIO. (TIT. XXV. *de excuſ. tut. & curat.*) *qvæ eſt juſtæ cauſæ allegatio, ad immunitatem à tutela vel cura conſeqvendam*, qvales juſtæ cauſæ ſunt. 1. numerus liberorum pr. 2. adminiſtratio fiſci §. 1. 3. abſentia Reipubl. cauſa. §. 2. 4. Poteſtas aliqva §. 3. 5. lis cum pupillo vel adulto gravior. §. 4. 6. tria onera tutelæ vel curæ non adfectatæ §. 5. 7. paupertas extrema §. 6. 8. adverſa valetudo §. 7. 9. imperitia literarum, cum negotiorum imperitia conjuncta §. 8. 10. malitia teſtatoris §. 9. 11. inimicitia capitalis cum patre pupillorum vel adultorũ §. 11. & 12. 12. ætas 70. annis major. §. 13. 14. Profeſſio certarum artium §. 15. 15. Tutela ejusdẽ antea geſta §. 18. Excuſatione vero proprie non indigent, ſed nec volentes ad tutelam vel curam admittuntur, Minor. §. 13. miles §. 14. & maritus reſpectu uxoris §. 19. III. REMOTIO SUSPECTI tutoris vel curatoris (TIT. XXVI. *de ſuſpect. tut. cur.*) *i. e. illius, qvi non ex fide tutelam gerit* §. 5. licet ſatis offerat aut ſolvendo ſit §. *ult.* & qvidem remotus ob dolum fit infamis, ob culpam, intellige latam, non æq; §. 6. interdum autem qvis non ſolum ut ſuſpectus removetur, ſed inſuper extra ordinem punitur §. 9. 10. & 11.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746220049/phys_0012
DFG

STITUTIONIS tutela definitur; *vis ac poteſtas*
capite libero, ad tuendum eum, qvi per ætatem ſe defen
neqvit, jure civili data ac permiſſa §. 1. Eſtqve vel T
STAMENTARIA, circa qvam, & qvi dare §. 3. Et
dari tutores teſtamento poſſint conſideratur (T
XIV. *qvi teſt. tut. dar. poſ.*) vel LEGITIMA, *à Leg*
certis perſonis immediate delata, qvæ iterum qvadrup
AGNATORUM (TIT. XV. *de legit. agnat. tut.*) q
rum tamen Jus plerumqve Status mutatione, ſi
CAPITIS DIMINUTIONE qvæ maxima, media
minima, perimitur. (TIT. XVI. *de capit. dimin.*)
TRONORUM, *in libertos impuberes* (TIT. XVII.
legit. patron. tut.) PARENTUM, *in liberos impubere*
mancipatos (TIT XVIII. *de legit. parent. tut.*) & FI
CIARIA, *in fratres impuberes emancipatos, defuncto*
rente, competens (TIT. XIX. *de Fiduc. tutel.*) vel D
TIVA, *qvam defert magiſtratus*, cui hoc olim Lege
tilia, Julia & Titia ſpecialiter permiſſum. (TIT. XX
Attil. Tut. & eo qvi ex L. jul. & Tit. dab.) EFFECT
tutelæ potiſſimum conſiſtit: partim in actione, ſi
judicio tutelæ, *qvo tutores poſt pubertatem, ration*
ſuæ adminiſtrationis reddere tenentur §. *ult.* partim i
AUCTORITATE tutorum (TIT. XXI. *de auct.*
tor.) *qvæ eſt expreſſa approbatio ejus, qvod cum pupillo*
ritur, in ipſo negotio à præſente tutore confeſtim int
poſita §. 2. & ſemper neceſſaria eſt, ubi pupillus ve
ſimiliter conditionem ſuam deteriorem facere pot
pr. DISSOLVITUR deniq; tutela (TIT. XXII. *qvi*
mod. tut. fin.) 1. pubertate. pr. 2. capitis diminution
1. & 4. 3. conditionis vel diei exiſtentia §. 2. 4. mort
3. 5. remotione & 6. excuſatione tutorũ §. *ult.* De C
RA ſpeciatim agitur (TIT. XXIII. *de Curator.*) qvate